

duntur. *Vae autem homini, per quem venit scandalum: Matth. 18, 7.*

71. *Quid? quod talem cessionem Confessio veritatis nulla ex parte admittit, quae cum omnibus temporibus lucere debeat, tum sanè vel maximè fulgeat necesse est, cum illius edenda necessitas incumbit: quod fit, cum hostes veritatis Ecclesiam oppugnant.*

72. *Hic sanè piorum mentes auresq, semper personet fulmen illud verborum Christi: Qui me confessus fuerit coram hominibus, eundem confitebor & ego coram patre meo caelesti: Qui me negaverit, negabo & ipsum &c: Matth. 10, 32.*

73. *Et in hoc casu non tantum negatio ipsa est vitanda: sed omnis negationis species: ac ne ad horam quidem, vel in minimo est cedendum: sed dicendum cum Mose, pro retinendo libertatis Christianae jure facto & recto. Ne unguam quidem hic relinquemus. Exod. 10, 26.*

74. *Exemplum succurrat Danielis, qui ne quidem clausis fenestris preces facere in gratiam hostium volebat. Daniel. 6, 10. Et Eleazarum, esum suillarum carniū in gratiam Tyranni, ne ore quidem simulare volentis 2. Maccab, 6, 24.*

75. *Neque est, ut de nullo fidei Articulo hac in questione Ceremoniarum agi, aliqui obijciant: Dum enim libertatis Christianae causa, dum con-*

pp 2

sessio-